DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA.

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IX. FEBRVARII.

M. IOANNE GROVLT, Doctore Medico, Præside.

An quouis morbi tempore purgandi occasio? 1127

MAGNA & diuersa morborum adest fœtura in singularum humani corporis (Corde tamen excepto) partium ruinam atque perniciem, at vnde scaturiat & quonam referri possit, hoc opus, hic labor est; sin autem illud attingas, quid vltra progredi licet, fatum in te ipso est, gula quippe & intemperantia exulent, quidni meliorem habueris sortem, dicam amplius pharmacum immortalitatis, vtriusque mirus consensus, at vana illarum conjuratio, modò viribus confidas, diuisum quippe cum ipsis non habes imperium, quin imò ortus & interitus apud vtramque jus in te est, quemadmodum enim cœna dubia & intemperata ortum Plethoræ & Cacochymiæ dederit, eodem jure licuerit tibi illam citiùs amandare, hanc tempestiuiùs, sed caue ab arte recedas posthabitis consilio, ratione, naturâ, morbi indole, causarum magnitudine, symptomatum ferociâ, humoris ῥοπῇ, qui licet præfataneam sui ablationem exigat, multùm tamen intereſt, plusne sit periculi in cruditate vel in mora, an ad coctionem, an ad corruptionem properet, proinde an tuo marte congrediendus, an soli naturæ committendus.

PVTREDO in solis humoribus concepta, eorumque vel in singulis, vnde singulæ morborum idiotropiæ, vel in multis, mixtisque, vnde malorum monstra, vel omnium, optimi certè pessima est, eadem vel simplex vel inchoata vel eximia & veneno proxima, quæ malignitas dicitur. Hanc Cacochymiæ pestem domesticam, rebellemque, ne pars sincera trahatur, natura quò citiùs valet explodit, sed ne sinceram ipsam, suamque cœco impetu simul amoliatur, pepasmum interponit, cujus gemino & plusquam rationali artificio, hoc retinet familiaris & benigni, dum istud ingrati & noxij, nî possit in gratiam reuocare, cicuratum mitigatumque disponit, vt indolentiùs exulet, præterquam in maligna camarina à qua mouenda sæpius abstinet, aut si retinendarum opum sacrâ fame percita in id incumbat improbi laboris, non coctionem, sed corruptionem pessimè mulctata molietur, in eo quod nihil familiaris laudatique continet, sed in totum deleterium est. Πεπασμὸς in crassis & viscidis succis, nihil aliud quam attenuatio: ergo in tenui, præterquam in thoracis affectibus, inutilis; raròad gradum æquabiliter in omni humore morbifico perficitur (in saluberrimo duntaxat affectu) sæpiùs propter humorum diuersorum, vel in multiplici foco putrescentium non vnam indolem successiuè fit, ita morbo ex parte concocto & funerato pars altera ægrotantem crudâ morte jugulat, sic quouis tempore circa præcordia, & in primis regionibus coctiones vigent, vnde natura ἐπιχειρήσεως indagatrix partem expellit crudam, nî subleuetur, partem concoquit & ad crisim reseruat, vel si infirma sit partem ἀποθέσει remouet, vel deteriori μεταστάσει morbum morbo redimit.

PVRGATIO vnicum cacochymiæ, primum, & ἐπεικέστατον, sic religiosissimum artis præsidium non in sola medicamenti violentissimi objectione, sed ex omnium innumera classe deligendo proprio humoris proliciendi magnetico, dosi conuenienti, nec tàm in illis, quàm in temporis opportunitate curationis est operæpretium & anima, hanc vt assequaris, sequere naturam ducem in coctione perfecta & vniuersali in declinatione scilicet, quod tutissimum, aut in particulari & obscura, alijs quoque temporibus. Valeant tamen nefandi isti expurgatores, quibus nihil aliud in mentem venit, quàm vitiosa è corpore pellere, quasi manu ageretur, nec contenti minoratiuis, nisi & sui deleterijs ægrum & ægritudinem decoquant, nullâ coctionis aut alterius præparationis habitâ ratione, tantùm spectant, quæ ventre exeunt, eaque quò deteriora, tanto meliùs cum ægoto actum putant, quem viuum exurunt & colliquant, ergo hæc tibi summa lex esto, concocta purgare oportet, non cruda.

IN principio tamen acutorum moue, si quid mouendum hortetur, humor orgasmo ferox per omnes oberrans partium anfractus, ne quam singulis intentat ruinam, in principem conferat, repentinoque sit exitio, vel solâ tenuitate mobilis, & ad conuenientes communesque vias inclinans crudus licet, vt expugetur etiam cocto paratior est, vel quouis modo sub immenso nimium, infestoque humorum fluctu suffocetur viuifici flamma caloris, suo ipsius exemplo leuandus, qui sincerâ, symptomaticâ, & quanquam vi morbi proritatâ excretione sæpe juuatur, & ad reliqua fortior assurgit; sæpe animaduersum crudioris materiæ detractione coctionem accelerari, moxque vrinas puriores è cum sedimento fieri, & ancipitem, capitalemque morbum in salutarem verti, tunc igitur ἀρχὴν ἰᾶσθαι πολὺ λῷον ἤδε τελευτὴν, certè purgatio tempestiuè exhibita maturum sæpe jam morbum ac propè erumpentem repressit tutiùs, quàm factum prorsus extirpauit, tunc enim non vtendum cunctatione vbi perniciosior est quies, τέχνης γὰρ πάσης ἀκμότερον ἀναβολὴ ἐπεικῆς δὲ πάνυ, cui vt consilium in prouidendo, industria in agendo, sic celeritas in perficiendo requiritur.

VIGENTIBVS morbis quiescere melius est, quemadmodum in accessionibus abstinere oportet, ne tamen vrgente primâ omnium necessitatis indicatione, tanti regulam, quanti ægrotantis vitam æstimes, legis ipse assertor κατὰ τὴν λῆψιν & τῇ λήψει medicatus est, ita in maligno affectu tentatis omnibus ex methodo præsidijs, vbi vasorum putredini, febris incendio factum est satis & toties fuso cruori impurior succedit semper, & jam exangue corpus, non sanguis, sed venenum & morbus alunt, viserum vt sæpe fit Cacopragia stabulante & obstruente circum primas vias excrementorum saburrâ, ceu cùm humoris orgasmus initio simulatus & tranquillus mox in furias agitur, ab hoc ipso impetu, quo ad motum exitumque patet, sicut & in intermittentium paroxysmis, agonistico purgante salutis tota spes arripienda, sic imminentem in laboriosa febre phrenitidem, in comatosa apoplexiam arcueris, ἢ ἅμα τῇ καθάρσει, μεθῇ ὁ πυρετὸς ὑγὴς γίνεται, neque jam coctio expectanda, quæ futura non est, sed quæ futura non erat procuranda; at id sæpe inuitat materia, suadet naturæ vis, non auocat symptomatum grauitas, verbo dicam, quouis morbi tempore & die etiam decretorio, quo natura decretura non est, diligenti habitâ circumspectione futuram μείζονα τὴν ὠφέλειαν ἐκ τῆς τῶν λυπούντων χυμῶν κενώσεως, τῆς βλάβης, ἣν δι' ἀνάγκης βλάπτεται τὸ σῶμα πρὸς τῶν καθαιρόντων φαρμάκων.

Ergo quouis morbi tempore purgandi occasio.

567



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Isaac Renaudot.
M. Antonius Morand.
M. Ioannes Hamon.
M. Ioannes Maurin.
M. Simon Boulot.
M. Claudius Tardi.
M. Petrus Legier.
M. Ioannes Chartier, Profess. Regius.
M. Ioannes Pietre.

Asserebat Lutetiæ FRANCISCVS SORAND, Vnelus Bellesmius, Scholarum Archidiaconus, A. R. S. H. M. DC. LXII.